DIEM NATALEM

GUILIELMI

WÜRTTEMBERGIAE REGIS AUGUSTISSIMI, OPTIMI

V. CALENDAS OCTOBRES MDCCCLVIII

PIE CELEBRANDUM INDICIT

LUDOVICUS HENRICUS KAPFF,

SEMINARII URACENSIS EPHORUS.

INSUNT:

I. QUAESTIO DE HORATII EPODO II. SCRIPSIT **F. ZIMMER**, PROF.

II. NACHRICHTEN ÜBER DAS SEMINAR URACH, VON EPHORUS **KAPFF.**

TUBINGAE,

EX OFFICINA LUDOV. FRIEDR. FUES.

1858.

EVANG. LANDESKIRCHE IN WÜRTTEMBERG
DER OBERKIRCHENRAT

d 24/Urach
-1854/58-
Präsem

SWB
ZDB

DE HORATII EPODO II.

Horatii epodus II. quum nihil admodum difficultatis praebeat in interpretandis singulis verbis ac sententiis, varie versavit interpretum animos, quum, quid hoc carmine sibi voluisset poeta, quaererent. Nam duae partes in eo sunt et magnitudine et ipso argumento valde dissimiles. Prior enim pars habet laudes vitae rusticae mira arte ac venustate expressas, in iisque ab initio ac paene ad finem totius carminis tanto studio versatur poeta, ut nihil aliud, nisi id ipsum voluisse videatur. In altera parte ridicula quaedam de Alfio feneratore fabula quatuor non amplius versibus continetur, idque adeo praeter spem legentium, ut nihil partem alteram ad priorem pertinere primo existimaveris. Itaque fuere quondam, qui secuti praecepta eorum, qui, quae ipsorum judicio non probantur, etiam a veterum scriptorum ingeniis necessario afuisse existimant, extremos quatuor versus carminis delendos, ut Horatio indignos, dicerent. Quid enim attinere, quum uberrime et ornatissimis verbis ac sententiis rusticam vitam commendaveris, in fine operis scurrilem quendam jocum adjiciendo te ipsum, quod in animos legentium imprimere volueris, rursus evellere, mali artificis instar, qui inchoatum et paene perfectum opus taedio quodam vel lascivia ductus oblinat contundatve. Nostrae aetatis lascivis quibusdam poetis hoc relinquendum esse, qui commovendorum animorum arte egregia praediti se ipsos et animi motus vel sanctissimos in ludibrium vertere malint. Procul hoc abesse a veterum, quos classicos vocamus, gravitate ac verecundia. — Contra haec disputari quidem potest, non deesse veterum poetarum locos, in quibus lectoris animum rebus fictis intentum repente ad veritatem traducendo suis ipsi inventis irridere videantur, ut Ovidius Metam. I, 400. fabulae, quam narrat de saxis Deucalionis jactu in hominum figuras mutatis ipse fidem derogat adjiciendo:

„quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?“ vel quod dicitur ab eodem Metam. II, 332. III, 311., quibus exemplis adjicio Trist. I, 4, 79. 80. ubi, postquam poeta suam fortunam comparando cum Ulixe multo suam asperiorem fuisse docuit, Ulixis partem maximam malorum fictam esse dicit, quo efficitur, ut sua mala, quae majora non veris, sed fictis esse ait, ipse extenuet, — haec, inquam, quamquam afferri possunt ab iis, qui veteres quoque poetas hac ratione lusisse legentium animos dicunt, Horatii tamen ab ingenio hoc alienum esse vere poterit dici. Sed ut propterea delendos quatuor illos versus judicemus, multum abest.

Fuere contra alii, qui ista ratione, quam lascivam supra diximus, admodum delectati extremos quatuor versus ab ipso Horatio, quum intelligeret, sine iis carmen nimis trita ac vulgaria afferre, postea adjectos esse dicerent, ut salibus quibusdam illud condiret. Quae sententia tam inepta est, ut eam refellere non sit opus.

Inter haec duo contraria medium tenentes interpretes recentiores neque amovendos esse hos versus, neque postea ac velut extrinsecus allatos censent, sed cum ipsa carminis indole ita coaluisse, ut neutrum sine altero dicere Horatius voluerit. Et in eo quidem omnes consentiunt, magna est varietas quaerentium, quid potissimum sibi voluerit poeta tantam in uno viro studiorum discrepantiam ostendens.

Proxime quidem ad eam, de qua supra diximus, sententiam, quae Horatium dicit jocosum finem carmini serio addere voluisse, accedit sententia Grotefendi, qui Horatium, quantopere laetaretur donato a Maecenate praedio, carmine exprimere volentem hoc ita instituisse dicit, ut, quae ipse sentiret, feneratorem quendam senem dicentem faceret, qua re efficeretur, ut satiricum colorem carmen duceret. At hoc quidem duabus causis minime convenire videtur.

Primum enim qui gratias agunt ita, ut non plane ac diserte hoc faciant, sed in jocum rem vertant, ii aut propterea faciunt, quod exiguum est beneficium neque dignum, de quo multa verba facias, aut quia beneficium se accepisse pudet eos fateri, quare rem extenuantes pro seriis jocos inferunt, ne obnoxii bene merenti, sed pares esse videantur. Hoc autem in Horatium et Maecenatem minime cadere, facile est intellectu. Nam quum magna intercedat inter poetam et principem illum virum familiaritas, nunquam

tamen ille est immemor, sibi non cum sodali quodam, sed cum viro dignitate graduque superiore rem esse. Eum igitur in hac potissimum causa, quum magnum et vix votis conceptum beneficium accepisset, extenuare jocis illatis hoc beneficium et pro gratiarum, quas maximas Maecenati deberet, actione ambiguam aliquam laudem vitae rusticae alieno ore pronuntiasse vix credibile est. Adde, quod epodos eo tempore scripsit poeta, quo amicitia cum Maecenate nuper inceperat, necdum longo usu firmata in familiaritatem verterat. Accedit altera causa, quod, cur feneratoris potissimum personam induxerit, quem vitam rusticam sic laudantem faciat, non liquet, nisi forte, id quod proxime ad verum accedere postea demonstrabimus, non est fictum, quod de feneratore narratur, sed illo ipso tempore accidit.

Alii, atque ii plerique, hunc epodum a satiris non re, sed forma ac versibus differre recte dicunt. Et Lachmannus quidem nihil aliud esse, quam imitationem carminis ab Archilocho jambographo confecti, suspicatur, cujus carminis prima verba exstant haec: οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει, Οὐδ' εἶλέ πώ με ζῆλος. Sed quum non totum carmen nobis notum sit, nec quantum a Graeco sumserit, quantum addiderit Horatius, dici potest, nec illis ipsis versibus, qui in fine Horatiani carminis positi sunt, et in quibus summa quaestionis versatur, utrum similes apud Archilochum respondeant, an hoc sit Horatii inventum, liquet. Utcunque autem ea res se habet, Horatium hoc Archilochi carmen propterea demum imitatum esse et in Latinum traxisse colorem credibile est, quia ad mores Romanorum pertinere sit visum. Quare haec quaestio utique proponitur, quem hominem vel quod genus hominum hac satira deridere Horatius voluerit.

Et alii quidem unum aliquem hominem, alii multos sive genus hominum aliquod peti existimant. In ea autem re consentaneum est non ita posse distingui, ut qui unum peti dicant, ii plures ejusdem generis significari prorsus negent. Est enim hoc ipsum proprium poeticae artis, atque id, in quo a philosophia maxime discrepat, ut, quae de multis ac toto genere dicenda sunt, ea de uno aliquo, quem velut effigiem sui generis aestimari vult, praedicet.

Sunt igitur, qui omnino temporis illius vitia quaedam pervulgata, sive avaritiam, sive vaniloquentiam et inconstantiam castigari ac pervelli dicant ita, ut unus ille Alfius imaginem perversitatis illius ac pravitatis, qua urbis

Romae incolae eo tempore fere omnes laborabant, exprimat. In eo genere sunt Mitscherlichii, Doeringii, Feldbauschii, Obbarii sententiae. Et avaritiam quidem in communibus illius aetatis vitiis facile principem locum obtinuisse, innumeri omnium scriptorum loci docent, qua aetate per omnia hominum genera, summos infimos, lucri studium serpserat, qua principes civitatis detracta gloriae publice quaerendae copia, quia omnium fortium factorum laudes in unum Caesarem cumulabantur, jam non bene mereri de republica, sed honores ac magistratus in suum quaestum convertere studebant; qua equites Romani, publicanorum muneribus fungentes provincias vexare nondum desierant, mercatores sublata aliarum gentium, quae olim mercaturas fecerant, aemulatione ex sua utilitate pretia rerum venalium vel minuebant vel intendebant; qua privati aversi a republica atque comitiis, ubi civium auctoritas jam nihil valeret vanaque essent suffragia, „quaerendam pecuniam primum, virtutem post nummos“ censebant, denique pauperes quaestum e publico sibi faciendum existimabant. Hujus igitur avaritiae omnibus communis velut quandam speciem nobis ostendit personam Alfii, qui ipso quaestu feneratoris pecunia pecuniam mercantis optime avaritiae nomen exprimit, seque hac cupiditate flagrare magis etiam eo prodit, quod hoc vivendi genus tanquam infelix et formidinis plenum jam depositurus tamen eodem redit. At avaritiam neque unum illius temporis vitium fuisse, neque in possidendis opibus hominum studia acquievisse, idem Alfius ostendit. Nam qui eum senem aliquem sordidum animo proponant, thesauris incubantem, et dummodo crescant opes, nihil inde decerpentem ac velut Tantalum inter affluentia sitientem, ii magnopere fallantur. Est potius juvenis omnibus delicatioris vitae deliciis imbutus, quem Lucrina conchylia rhombique et scari juvant, Afra ave et attagene Jonico vesci consuetus, denique malarum, quas amor curas habet, haud ignarus. Ergo avarus est, ut habeat, unde voluptatibus indulgere possit. Quod autem in Alfio, idem in plurimis illorum temporum hominibus reperitur. Quid aliud urbana illa multitudo, cujus libidini Caesares anxie indulgebant, quam voluptatem sibi publica impensa quaesivit? quid aliud, quam per desidiam aetatem agere, victum nullo labore parare voluit? et illa clientium turba per domos divitum sportulam accipiens quid aliud, quam otium vitamque jucundiorem ignominia redemit? Quid? milites illi tot proeliis inter civilia bella exercitati quum Europam, Asiam,

Africam caedibus ac rapina implerent, quid aliud, quam per luxuriam effundere sudore et cruore quaesita cupiebant? Atque quod in infimo hominum genere nullisque liberalibus artibus erudito, idem in locupletioribus atque etiam in iis, qui ingenue liberaliterque educati erant, animadvertimus. Nam ut omittam varia genera negotiatorum, qui terra marique pericula subibant, ut ingentibus coacervatis opibus heluarentur mollitiaque diffluerent, — illi ipsi, qui generis nobilitate et liberali disciplina ad honores gerendos remque publicam capessendam idonei erant, gliscente dominatione deterriti amoenitate praediorum epularumve apparatu amissae libertatis oblivionem captare malebant. Quid? quod studiis liberalibus dediti philosophiaeque etiam praeceptis imbuti plerique cum multa indignitate potentiorum limina, ne paupertatem tolerarent, obsidebant.

Avaritiae igitur et luxuriae vitia tum maxime vulgata, ut in multis satirarum, ita in hoc epodo carpere poeta voluit. Sed accedit tertium ac maxime pestiferum vitium corruptis civitatibus proprium, mendacium dico et simulationem per omnia serpentem. Nam quum inter civiles dissensiones suis quaeque pars commodis consulens communem utilitatem se spectare affirmet, alii libertatis nomen praetexentes aut effrenatam licentiam multitudinis spectent aut in paucorum, quos bonos cives esse dicunt, quaestum publicam salutem convertere cupiant, alii pacem otiumque vexatae civilibus procellis patriae se reddituros pollicentes pro jure ac legibus tyrannidem, pro omnium incolumitate servitutem omnium inferant, quid mirum, si vera vocabula rerum paulatim oblitterantur, si victores assentatione caecati omnia sibi licere arbitrantur, victi, ut iram victoris effugiant, assentiri parati sunt. Quid, quod ii ipsi, quibus liberalior educatio et literarum studia officium injungunt, quod rectum quodque verum est, defendendi ac tuendi, quod rerum scriptores, quod poetae, quod philosophi denique ad foedam adulationem descendunt et illa bene vivendi praecepta virtutisque incitamenta aretalogorum istorum in modum nugis et ineptiis miscendo in ludibrium vertunt. Huc quum accedit, ut Deorum quoque verecundia sublata vulgus incertum ac dubium alii ad alias peregrinas superstitiones inclinent, principes religionum contemtores ipsi, ut plebem metu Deorum coerceant, traditarum a majoribus caerimoniarum studium simulent, optimus quisque ad philosophorum scholas confugiat, a quibus speciosa verba magis, quam vera ad emendandam

vitae rationem incitamenta petat, — haec, inquam, quum accesserunt, fieri non potest, quin tanta existat opinionum sententiarumque confusio et conturbatio, ut pro se quisque pendens animo quid verum, quid falsum, quid sequendum, quid aspernandum sit, nescius sibi constare non possit. Hominem ita secum discordantem hic, de quo loquimur, epodus Alfium ostendit, qui, quid melius et honestius sit, quum facile dispiciat et ad id sequendum animo inclinet, tamen ad deteriorem vivendi rationem invitus rapitur.

Ad hanc igitur studiorum discrepantiam exprimendam hoc carmen ab Horatio confectum esse Feldbauschius existimat, quum in hunc fere modum sententiam ejus exponit: Fuisse credo feneratorem Alfium in illo genere hominum, — quales omnibus temporibus et fuere et sunt multi, — qui virtutem magnificis extollunt verbis, et quum pravam ipsi vitae rationem sequantur, aliquando, quam sit homine digna quamque laudabilis vita eorum, qui diversam a se vivendi viam ingressi sunt, optime perspexisse videntur. Et paucis verbis omnem carminis vim comprehendens haec eo doceri ait: frustra plerumque contra inhaerentem et penitus insitam vitae consuetudinem pugnare motus animi ac judicia honestiora.

Nos et hanc inconstantiam levitatemque a simulatione omnem vitam corrumpente profectam et luxuriam avaritiamque complectentes cum Obbario id egisse Horatium dicimus, ut morum illius aetatis imaginem exprimeret. Nam avaritiam quidem poetam castigare voluisse ex eo apparet, quod feneratorem potissimum illa dicentem facit, et a proposita meliore vita subito ad fenus et usuras redeuntem, luxuriam vero ex eo, quod illecebrarum urbis peritum virum et pecuniae propterea cupidum, ut voluptatibus se dare possit, inducit, levitas denique ex ipso fine carminis quam maxime elucet.

Venio nunc ad eorum sententias, qui non generatim mores illius aetatis, vel genus aliquod hominum, sed proprie unum aliquem hoc carmine pervelli censent. In eo genere sunt Gruppius Kirchnerusque, et W. S. Teuffel, quorum illi Virgilium vel Tibullum peti arbitrantur, hic Horatium de se ipso loqui dicit. — Kirchnerus in adnotationibus ad Horatii satiram primam libri primi identidem ab eo vel vocabula quaedam vel versus ab aliis poetis sumtos suisque carminibus intextos esse monet. Idem a multis aliis vel veteribus vel recentioribus poetis factum adeo non crimini iis datum vel furti instar habitum esse, ut si cujus verba a clariore quodam poeta

recepta essent, laudi sibi duceret. Ita Virgilium multa ab Ennio, Naevio, Pacuvio aliisque prioris aevi poetis, multa ab aequalibus, Vario, Cornelio Gallo, aliis recepisse, ac vicissim posterioribus magnam imitandi mutuandique materiam praebuisse. In satiris autem Horatium jocandi scilicet causa hoc plerumque fecisse, quum aut malum poetam ridere vellet, aut boni poetae verbis eo, quod e contextu operis velut e suis sedibus convulsa cum aliis collocaret, jocosam vim adderet; velut quum inter pedestrem sermonem tragicorum vel epicorum verba magnum sonantia misceret. Ita hunc epodum suavissimam dicit esse parodiam Virgilii secundo libro Georgicon v. 458 seq. agrestis vitae amoenitates depingentis. Haec Kirchneri sententia licet aliquam habeat veri speciem, tamen falsa esse demonstrabitur, si neque parodiam inesse in hoc epodo, neque Horatium ad laudes vitae rusticae parodiam scribere potuisse docuerimus. Primum igitur, quid sit parodia, videndum erit. Est autem parodia carminis alicujus ea commutatio, in qua servatis magnam partem iisdem verbis dum vel personae vel res aliae supponuntur, pro seriis ridicula efficiuntur. In eo genere exemplum maxime manifestum est illa batrachomyomachia, in qua dum de ranis muribusve praedicatur, quod apud Homerum de viris fortissimis laudatissimisque, et magnifica epici poetae verba ad res viles humilesque adhibentur, existit illud ridiculum, quod parodiae nomine appellatur. Jam si Horatianum carmen cum Virgilii versibus conferimus, nihil tale inveniri facile apparebit. Nam tantum abest, ut servatis sententiis ac verbis plerisque pauca admodum mutata sint et conversa, ut haud sane major appareat similitudo, quam quae in duobus scriptoribus eandem rem tractantibus facile existit. Loquitur enim Virgilius de fortunatis agricolis, quibus procul discordibus armis tellus facilem victum fundat. Eorum domos non ingentem salutantium undam totis aedibus fundere. Haec sane in Horatio similia. Tum quatuor versibus describitur magnificus locupletum aedium apparatus, de quo nihil apud Horatium. Pergit inde Virgilius loqui de secura quiete et vita simplici et innocente, de mollibus somnis et mugitu boum lustrisque ferarum, de patiente operum juventute deorumque sancta reverentia. Haec omnia etiam apud Horatium inveniuntur, sed neque eodem ordine neque alia aliis continuata. Nam et Horatius multa inserit, quae non sunt apud Virgilium, multisque verbis exponit, quae apud hunc paucis sunt adumbrata, et Virgilius aliqua habet, quae apud Horatium desunt.

Quid igitur in his omnibus parodiae simile? agricolas laudat Virgilius, — eosdem Horatius; jucunditates vitae rusticae Virgilius enumerat, — Horatius si παρῳδεῖν voluisset, eas non jucunditates sed molestias esse demonstrasset, in eum fere modum, quo Goethius in eo carmine, quod inscribitur „Musen und Grazien in der Mark“, poetas rustica nimis copiosis verbis extollentes perstringit. Ille vero non hoc facit, sed et ipse amoenitates laudat. — At in epilogo illum admiratorem rei rusticae, quum in eo sit, ut dicta factis exaequet, vanas esse et invalidas illas laudationes ostendit. — Qua re se ipsum potius παρῳδεῖν, quam Virgilium aut alium quempiam, Horatium dixeris. Nam si crederes, adeo crebrum fuisse illo tempore id genus poetarum, qui idyllia seu bucolica et similia scriberent, ut easdem fere sententias mille modis variando aures defatigarent obtunderentque, certe non erat Horatii eos reprehendere ac deridere, quippe qui innumeris locis carminum suorum copiosus sit in laudando otio ruris, et omnibus illis gaudiis, quae gelidum nemus ac dulces in umbra somni, quae aquae leniter sonantes et pocula Falerni in remoto gramine hausta praebent. Quod autem Kirchnerus eum non derisionem poetarum sed suavem quendam, ut inter amicos, jocum spectasse dicit, quum sententiis Virgilii suo in carmine iteratis finem jocosum subjungeret, id propterea non verisimile videtur, quia, ut supra ostendimus, non tantopere verbum e verbo expressum est, ut illum ipsum Georgicon locum significari sit exploratum; quid? quod alius locus exstat in Aristophanis Νήσοις, quem Orellius affert, adeo similis, ut hunc respexisse multo magis, quam quemvis alium Horatius possit videri. Cujus verba nonnulla hic exscribere non alienum videtur. Dicit autem:

Οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγρῷ τοῦτον ἐν τῷ γηδίῳ
Ἀπαλλαγέντα τῶν κατ᾽ ἀγορὰν πραγμάτων,
Κεκτημένον ζευγάρων οἰκεῖον βοοῖν,
Ἔπειτ᾽ ἀκούειν προβατίων βληχωμένων,
Τρυγός τε φωνὴν εἰς λεκάνην ὠθουμένης,
Ὀψῷ τε χρῆσθαι σπινιδίοις τε καὶ κίχλαις,
Καὶ μὴ περιμένειν ἐξ ἀγορᾶς ἰχθύδια κτλ.

Et de Kirchneri quidem sententia hactenus. Ad Gruppii vero sententiam, qui Tibullum spectari simili modo, quo Kirchnerus Virgilium, ait,

plura dicere non est opus. Nam quod in elegiis Tibulli passim ruri viventium voluptates laudantur, — nullus est locus carminis Horatiani vel similior, vel etiam tam similis, quam ille, qui est e Virgilio citatus. Ne elegiarum I, 6. quidem, ubi Tibullus Deliam fingit impigrae rusticae munia obeuntem, quamquam facile admonet de „Sabina aut perusta solibus pernicis uxore Appuli", ejusmodi est, ut Horatium, etiamsi elegiarum Tibulli prorsus ignarus esset, idem dicere potuisse non sit credibile. Quamquam id ipsum in dubio est, utrum Horatius prior epodum secundum, an Tibullus elegiam sextam scripserit. Quod autem Gruppius Alfii nomine ficto Albium Tibullum significari censet, id non est tanti, ut rem alioqui dubiam demonstrare ac persuadere possit, quum praesertim Alfii nomen non fictum, sed verum hominis, qui illo tempore vixit, esse compertum sit. — Et eum ipsum Alfium Horatio materiam carminis praebuisse videri, postea exponemus, si prius de ea sententia, quae hunc Alfium non alium esse, quam ipsum Horatium, eumque alieno nomine sui animi imaginem exprimere voluisse dicit, disputaverimus.

Est haec sententia Teuffelii, qui Horatium hanc sui animi inconstantiam voluntatumque repugnantiam expertum confessionem levitatis suae et studiorum mutabilitatis exprimere voluisse dicit. Magnam in eo partem veritatis inesse minime negaverim. Nam est sane poeta dignum, quum motus, quos in animo tectos atque involutos habeat, expromere vult, eos in alia persona sic intuendos praebere, ut quasi praesentem aliquem hominem loquentem et agentem videamus. Et quum verus poeta non remotus ac velut seclusus a communi vita hominum ejusque ignarus agat, sed quae aequalium populariumque animos versant, quibus agitantur voluntatibus, quae in iis bona, quae vitiosa sunt, ea omnia cognita habeat et animo pertractata et experta, denique quum nihil humani a se alienum putet, ubi de se loquetur, suae civitatis, suae aetatis una exemplar quoddam proponere studebit. Sed duae sunt causae, quibus adducor, ut ad hanc sententiam non accedam: altera, quod Alfii nomen non fictum esse arbitror, altera, quod non video, cur Horatius, quum de se loqui vellet, feneratoris potissimum personam induerit. Et de Alfii quidem persona postea loquar, fenerator ab Horatio longissime abesse videtur. Nam quum ipse quaestus feneratoris hominem pecuniosum atque avarum significet, Horatius multis locis se pauperem et paucis contentum ostendit; qui, sua vitia notans, si hominem vitiosum supponere vellet,

luxuriorum potius ac prodigum quam avarum sumpsisset. Ut enim luxuria, quamvis vitiosa, tamen homine liberali atque poeta haud paullo dignior est quam avaritia, ita Horatius ipse vel in carminibus vel in satiris epistolisve multa de se praedicat, quae quamquam non luxuriosum, at vitam delicatiorem et voluptates non aspernantem hominem eum arguunt, judicio quidem paucis contentum, sed lautioris victus et amplioris apparatus conviviorum aliarumque voluptatum haud expertem. Itaque si levitatis et inconstantiae se insimulare vellet, post laudatas amoenitates vitae in simplici agrestique cultu actae hanc adjungere conclusionem debebat, ut hominem induceret Urbis voluptatibus et commodis adeo captum, ut ad ea modo relicta desiderio retraheretur, non avarum pecuniam redactam denuo ponere quaerentem.

Quare si neque Virgilium, neque Tibullum, neque ipsum Horatium hoc carmine denotari credimus, neque universe illa vitiorum genera, de quibus supra diximus, quid tandem poeta sibi voluerit, vel quis sit iste Alfius, — quoniam in hoc nomine summa quaestionis verti videtur, — dicendum erit. Nos cum Francisco Rittero illud ante omnia tenendum arbitramur, Alfii non esse fictam personam, sed certum aliquem, qui illo tempore exstiterit, hominem. Exstitisse autem Augusti aetate quendam Alfium Flavium seu Flavum, eumque in doctorum numero fuisse, duobus locis historiae naturalis Plinius ait. Columella autem feneratorem Alfium nominat, cujus hanc vocem, qua anxia ejus in redigendis pecuniis cura notetur, affert: „vel optima nomina non appellando fieri mala.“

Hanc Alfii vocem materiam carmini praebuisse Franciscus Ritter his verbis declarat: „nimirum Alfius fenori deditus ac timens, ne optima nomina non appellando mala fierent, hujusmodi laudes vitae rusticae praetexere solitus est, ut appellandi justam occasionem haberet. Itaque Horatius sub illustri exemplo ostendit et oblique exagitavit, quid sit aliud ore promptum gerere, aliud pectore clausum tenere.“ At si hoc potissimum in Alfio videretur, quod vitae rusticae studium simulando appellandi causam quaesivisset, profecto non deesset in epodo illius ipsius vocis quaedam significatio et cavillatio, multaque eorum, quae in ipso carmine Alfio mores propius designant, temere ac sine consilio dicta viderentur. Itaque nos non hanc Alfii de „non appellando“ vocem, sed omnino mores hominis, in quo velut in speculo aequalium mores cernerentur, in epodo II. notari arbitramur.

Primum igitur, ut ad Alfii personam redeamur, quaeritur, unusne fuerit Alfius, an duo, vel etiam tres, si quidem duo viri docti, qui hoc nomen habuerint, alter poeta epigrammaticus, rhetor alter, memorantur. Atque poeta quidem et rhetor num idem fuerit, dubitaverim, quum poeta Augusti aetate fuisse tradatur, rhetoris aetas incerta sit, ac nihil habeamus, unde de ea re quidquam certius colligere possimus; poetae et feneratoris adeo diversa munia videntur, ut vix in eodem homine utraque esse posse existimaveris. Nihilominus ex iis ipsis, quae in epodo dicuntur, feneratorem versus fecisse, poetam fenus exercuisse credibile ac verisimile videtur. Nam quod supra diximus, nostri feneratoris non hanc imaginem animo subjiciendam esse, ut senem sordidum nihil praeter nummos animo agitantem, nil nisi fenus exercere doctum fuisse credamus, id quum natura rei, tum ipsam hujus carminis argumentum declarat. Nam fenerationis quidem nomen sane habet aliquid odiosi, quodque cum liberaliore cultu vix constare posse videatur. Quid autem, si in splendido illo genere equitum Romanorum fuit, — quo titulo ipse Maecenas contentus fuit, — qui variis neque iis semper honestis rationibus divitias consecuti eam, quam ubique gentium opes praebent, auctoritatem tenuerunt et legibus pariter atque gratia principibus propiores quam plebi fuerunt? Iidem quod in magna re familiari habebant, unde pueris paedagogos multiplici doctrina instructos, omnia denique, quae ad liberaliorem educationem pertinebant, pararent, quid mirum, si eruditionem quoque eam prae se ferre didicerant, qua in circulis doctorum hominum vel eorum, qui dignitatis gradu excellerent, iis non erubescendum esset. Nostra aetate, qua nulli alii rei tantus, quantus divitiis, honor habetur, quis est eorum, qui vel aliquamdiu in ampliore quodam oppido versati sunt, quin illud genus adolescentulorum viderit cognoveritque, qui elegantiore cultu insignes, affluentes unguentis, coma calamistrata in circulis atque theatris versantur, qui cum in ceteris artibus, tum in poesi tanquam callidi aestimatores suo judicio ceteros trahere aggrediuntur, eos dico, qui, quum partem diei apud negotiatorum vel argentariorum mensas occupati egerint, in circulis elegantiorum artium intelligentes se ostendunt et divitiarum commendatione, qui videri volunt, videntur.

Eo igitur exemplo Alfium Flavum simul feneratorem et poetam fuisse prorsus verisimile mihi videtur. Nam licet recte dixeris sordidum quaestum a boni egregiique poetae persona abesse, tamen hominem quaestui deditum

aliquando mediocria carmina pangere potuisse non negaveris, et eum, si gratia et dignitatis gradu valeret, in principis alicujus, velut Maecenatis consuetudinem qualicunque commendatione ad tempus irrepere potuisse. Nam fuisse, qui hoc consequi importuni conarentur, Sat. I, 9. docet. Tanto majorem vero ac justiorem ridendi materiam praebebat, si talis homo, quae seu sermonibus seu carminibus bona atque honesta sui commendandi causa hariolatus erat, suis ipse factis ut simulatum ementitumque coarguerat. — Ergo fuisse Alfium feneratorem Horatii aetate, historicis documentis manifestum est, eundem vel fuisse poetam vel videri voluisse, est verisimile. Reliquum est, ut, qualem animo concepimus Alfii imaginem, talem ex ipsa epodi secundi indole necessario concipiendam esse demonstremus.

Negotiatorem esse Alfium et eum quidem pertaesum molestias hujus vitae generis, v. 1 et 4. docent; eundem desiderio melioris vitae virtutumque et simplicitatis majorum moveri, v. 2. 3. Omnino otii cupidus vitam inter pericula ac labores agendum aspernatur, v. 5—8. Multis deinde verbis, quae sint quoque anni tempore commoda ruris, enumerat, et ita quidem, ut vel labores laudet, unde lassus domum redeat v. 44., ut venationem aprorum in magna virium contentione atque etiam periculis versantem v. 31. 32., — vel opera rustica ea, quae non tam agitant corpus, quam cum suavitate quadam exercent, et sollertiam magis quam vires desiderant, ut cum vitium propagine maritat populos, cum arboribus vitibusve surculos inserit, cum oves tondet; et ea potissimum opera, quibus propter utilitatem perceptam singularis quaedam voluptas inest, ut condere amphoris mella, pyra decerpere et uvas v. 15 — 20. turdos, lepores, grues captare v. 34 — 36., vel otium ruris commendat: v. 11. 12. prospectat errantes greges v. 23 seq., jacet modo sub ilice, modo in tenaci gramine, somnosque captat, inter epulas videt oves bovesque domum redeuntes vernasque positos v. 61 — 66., — vel voluptates seu corporis, seu animi: lacte fruitur dulcique vino v. 46. 47., dapibus, quae et salubres sunt v. 58. et jucundae ad saporem v. 55 — 60. atque parvo pretio parantur v. 48. 60. Animi autem voluptates vel ex amoenitatibus rerum naturalium nascuntur, et e strepitu fontium aviumque cantu v. 25—27., vel e vita domestica, quum et pudica laboriosaque mulier dulcesque liberi animum oblectant v. 41 — 48., et vernae laeti beneque culti opulentiam heri et clementiam ostendunt v. 65. 66.

